Bodleian Libraries
UNIVERSITY OF OXFORD

This book is part of the collection held by the Bodleian Libraries and scanned by Google, Inc. for the Google Books Library Project.

For more information see:

http://www.bodleian.ox.ac.uk/dbooks

This work is licensed under a Creative Commons Attribution-NonCommercial-ShareAlike 2.0 UK: England & Wales (CC BY-NC-SA 2.0) licence.



600008562R

42.

1305.

EPISTOLA CRITICA

DE

DURIDIS SAMII

RELIQUIIS.

EPISTOLA CRITICA

DE

DURIDIS SAMII RELIQUIIS

AD

IAN. GER. HULLEMANNUM.

SCRIPSIT

IAC. MARIN. VAN GENT.

ACCEDIT EMENDATIONUM PAR.

43.

Εἰ μὴ φυλάσσεις μικρ', ἀπολεῖς τὰ μείζονα.
MENANDER.

LUGDUNI BATAVORUM,
SUMTIBUS H. W. HAZENBERG ET SOCIORUM.

1842.

1305.

BIBLIOTECA·BC

EX TYPOGRAPHEO J. G. LA LAU.

VIRO DOCTISSIMO

IAN. GER. HULLEMANNO

S. P. D.

IAC. MARIN. VAN GENT.

Occupato mihi in ordinandis illustrandisque DURIDIS SAMII reliquiis, ecce, affertur idem ille Duris, eruditione Tua et diligentia exornatus, humanitate ad me missus. Iam primum omnium actum laborem gratulatus Tibi D.V! pro dono et observantia debitas ago gratias. Duridis edendi consilium a Te quoque agitari pridem cognoveram: nec tamen idcirco a proposito desistendum mihi esse arbitrabar, memor imprimis eorum, quae sapientissime Homericus ille Diomedes pronunciavit

σύν τε δύ' ἐρχομένω, καὶ τε ὃ πρὸ τοῦ ἐνόησεν
ὅππως κέρδος ἔῃ.[1])

1) Il. X, 224.

Quae quamquam ita sunt, D.V! tamen, Duride a Te prius edito, fieri non potuit, quin multa eorum, quae ego eram commentatus, tuto possent premi: praesertim, quum in multis, ut eiusmodi res fert, in eandem fere sententiam utrumque nostrum incidisse comperiebam. Quid multa: misso consilio perfectae Duridis editionis adornandae, ea tantum in vulgus putabam edenda, quibus meo labore aut interpretando aut emendando aliquid lucis attulisse mihi videbar. Quae cur in epistolae formam redacta ad Te D.V! potissimum mitterem, res ipsa loquitur. Sunt in meis, quibus a Te dissentientem me deprehendes: sed libera sunt iudicia; reperies et quae te fugerunt: verum hoc in tractandis veterum scriptorum reliquiis omnino obtinere debet, nimirum ut eae non semel, sed iterum rursusque diligenter excutiantur et quasi cribello accurate cernantur: donec tandem aliquando, quoad id fieri licet, nihil obscuri corruptive resideat. Tu Duridis λείψανα prius cribrasti: ego post Te faciam. De residuis alii videant.

Sed ne iusto diutius Te talibus morer, rem ipsam aggrediar. Quae ego monenda habebam, ad Tuae editionis paginas composui.

P. 3. *De Duridis — vita*, cet.] In enarranda Duridis vita notandus est insignis Fabricii et Harlesii error. Hi enim (Bibl. Gr. L. II. cap. 9 et L. III. cap. 8.) Duridem iis annumerant scriptoribus, qui Alexandrum M. in Asiam sint comitati; quod nec per aetatem licuisset, nec ullo veterum scriptorum testimonio confirmatum video.

Ibid. not. 1. *nomen Δοῦρις repetentes ἀπὸ τοῦ δουρός*, cet.] Eustathii et Etymologi M. locos mihi perpendenti, quibus continetur originatio nominis *Δοῦρις*, operae pretium facturus videbar, si et alia Graecorum nomina ab armatura desumta conferrem; praesertim quum hoc a Keilio in Onomatol. Graec. aut omissum, aut in aliud tempus remissum videbam. Sunt autem haec: *Γρόσφος*, Horat. Od. II, 16; *γρόσφος* item teli genus est. Polyb. VI, 22. 4. *Ἀκόντιος*, Archiloch. apud Athen. XV, 668. c. *Ἀκόντης*, Apollod. III, 8. 1., nisi corruptum sit pro *Ἀκόντιος*. *Αἶχμις*, ab *αἰχμή*, cuspis. Pausan. VIII, 5. 6. *Θώραξ*, quo nomine bene multi vocati fuere. *Τελαμών*. de quo Eustathius l. l. *Ἀσπὶς*, clypeus: sed item serpentis genus est. Nepos Datam. 4. *Λευκολόφας*, Aristoph. Eccles. 645: quod nomen fictum a comico videri possit, nisi *Λευκολοφίδης* exhiberet Xenoph. Hellen. I, 4. 21. *Μαχαιρίων*, Plut. Ages. 35. *Μαχαιρεὺς*, Strab. IX, 3. Fortasse et huc pertinet *Φάληρος*, Theocr. V, 103.

P. 6. not. 3. *Fons traditionis*, cet.] Non unicus traditionis fons est Athenaeus, sed et Pausanias VI, 13. 3.; siquidem eius verba de *Duride*, nec vero de Duridis cuiusdam *filio* sint accipienda. Hic enim de Duridis (?) imagine Olympiae posita locutus, sic pergit: *Μετὰ δὲ τὸν τύραννον* (Duridem) *Δίαλλος ὁ Πόλλιδος ἀνάκειται*. Sed de toto hoc loco mihi quidem nondum constat.

Nam videndum an in corruptis καὶ ὃς ἕστηκεν, ὁ Δούριος, Σάμιος (sic enim Codd.) longe aliud quid latitet, quam Tu statuisti. Num forte καὶ ὃς depravata sunt ex Λυγκεὺς aut Ἀγκαῖος? Sed magis fortasse placebit coniectura, quam proposuerunt Walz. et Schubart. legentes Σκαῖος. Quos vide ad h. l., quem copiosius etiam tractarunt Praef. p. XLIX sq. Quidquid sit, si forte quis olim idoneis argumentis demonstret in verbis καὶ ὃς latere verum pugilis nomen, tota Tua huic loco superstructa disputatio ἀνυπόστατος fiat necesse est.

P. 17. *Μακεδονικά, non Λακεδαιμονικά*, cet.] Turbatum esse in vocabulo Λακεδαιμονικὰ vel inde perspicitur, quod Graeci constanter dixerunt Λακωνικά.

P. 21. *Nec mirum adeo si hic*, cet.] Paulo aliter hic mihi videtur statuendum. Ubinam substiterit Duris diserte a nemine traditur. Diodori Sic. liber XXI, qui id nos docere fortasse potuisset, aetatem non tulit. Postrema temporis indicia ea praebent, quae Duridis auctoritate narrat Plin. H. N. VIII, 61. de Lysimachi morte, quae accidit Ol. 124, 4. Sed ea iam fuit scriptorum illius aetatis ratio, ut certis quibusdam temporis momentis, quae sponte tanquam termini in vasta rerum gestarum materia eminerent, sua opera finirent. Tale fuit mors Philippi, tale Alexandri. Quum autem septem circiter mensibus post Lysimachum et ipse Seleucus, ultimus successorum Alexandri M., decesserit (a. C. 280, mense Ianuario; Clint. ad h. a.), cuius morte aetas τῶν Διαδόχων finitur et novum temporis spatium (τῶν Ἐπιγόνων) incipit: idcirco iusto audacius fecisse non videbimur, si statuamus Duridem Ἱστορίας suas ad hoc usque tempus deduxisse. Idem et alii fecere: Diod. Sic. I, 3: οἱ μὲν

γὰρ εἰς τὰς Φιλίππου πράξεις (Theopompus, Anaximenes, Zoilus), οἱ δ' εἰς τὰς Ἀλεξάνδρου (Ptolemaeus, Aristobulus, Anaximenes, alii), τινὲς δ' εἰς τοὺς διαδόχους (Hieronymus Cardianus, Duris? [1])) ἢ τοὺς ἐπιγόνους (Hieronymus Card., Nymphis), κατέστρεψαν τὰς συντάξεις. Neque aliud fecit ipse Diodorus, qui vigesimum primum Bibliothecae librum, eodem, quo Duris suas Historias, anno terminavit et eo usque ex hoc profecisse videtur. Quae si recte disputavi, totum Duridis opus, praemissa undecim annorum προκατασκευῇ (Ol. 102, 3.—105, 2.), ea continuisse apparet, quae vulgo Φιλιππικά, τὰ περὶ Ἀλέξανδρον et τὰ περὶ τῶν Διαδόχων a rerum scriptoribus dicebantur: ita quidem ut inde a libro XI usque ad operis finem res τῶν Διαδόχων fuerint enarratae.

P. 29. not. 2. *Quomodo vero — Panofka*, cet.] Perverse agere, qui Ὅροι scribere velint, vel inde apparet, quod nemo facile de *insularum* finibus fuisset scripturus, quippe qui satis sunt in promtu. Nec quidquam me movet opinio, quam de hac re protulit Panofka, quasi Duridis Σαμίων Ὅροι (sic enim vult) scripti fuissent de litibus Samios inter et Prienenses ob *fines* agri, in continente siti, obortis. Vellem scire quid V. D. de reliquis Ὥροις statuisset, v. c. de Malaci Σιφνίων Ὥροις. Exceptis igitur philosophorum libris, Ὅροι inscriptis, non dubito, quin cum Creuzero ubique eiusmodi commentariis vindicandus sit titulus Ὥροι; qui variis modis reperitur vitiatus. Sic apud Diog. Laert. I, 119. legitur Δ. ἐν τῷ β' τῶν Ἱερῶν. Veterum Horographi (de quibus conf.

---

[1]) Iam proposui hanc coniecturam in Tabula Chronologica Historic. Graec., quam edidi ante hos quatuor annos.

Diod. Sic. I, 26.) praeter eos, quos Tu recenses, hi fere sunt: Artemon (*Κλαζομενίων Ἥροι*); Charon (*Λαμψακηνῶν Ἥροι*): Creophylus (*Ἐφεσίων Ἥροι*); Heropytus (*Κολοφωνίων Ἥροι*); Malacus (*Σιφνίων Ἥροι*); Neanthes (*Κυζικηνῶν Ἥροι*); quibus addendus est Theolytus Methymnaeus, cuius *Ἥροι* nude citantur ab Athenaeo IX, 470. b., quos tamen *Μεθυμναίων* vel potius *Λεσβίων Ἥρους* fuisse suspicor, collato eodem Athenaeo VII, 296. a. De omnibus his consuli potest Vossius: cuius tamen, uti et Westermanni diligentiam fugisse video ultimum, quem memoravi, Theolytum.

P. 43. *A dictione*, cet.] Facit huc quodammodo locus Himerii, unicus, quem in tanta fragmentorum copia et farragine Te video praetermisisse. Neque is ita magni est momenti. Himerius igitur (Declam. XIV, 27 ed. Wernsdorf.) Hermogenem adeo est demiratus, ut dicere non vereatur: *ἔγωγε πρότερον ἐπὶ τοῖς Ἡροδότου λόγοις ᾠδέως διατιθέμενος παῖδα τὸν Ἡρόδοτον πρὸς τὴν τούτου* (Hermogenis) *χάριν ὑπείληφα. Μικροὶ δέ μοι λοιπὸν Ἑλλανικοί τε καὶ Δούριδες, ἔτι τε ἡ τοῦ Ἁλικαρνασσέως* [1]) *ποίησις καὶ ὅσοις λόγῳ γράψαι τὴν οἰκουμένην σπουδὴ ἐγένετο πρὸς ἐκείνας τὰς ἴυγγας, αἷς οὕτω* (οὗτος?) *κατακηλεῖ τοὺς ἀκούοντας*. Sed ineptum Himerii iudicium, ut parum offendit Herodoti et Hellanici existimationi, sic et nobis quidem Duridis laudibus nihil addere, nihil demere videtur.

---

1) Hoc modo oratori loqui licet, rerum scriptori non item. Quapropter miror accidere potuisse Wyttenbachio, ut improbaret egregiam correctionem loci Polybiani I, 3. 2., ubi pro corruptis *παρὰ τοῦ τοῦ Σικυωνίου* verissime emendavit Reiskius *Ἀράτου τοῦ Σικυωνίου*: qua lectione reiecta Wyttenb. legit *παρὰ τοῦ Σικυωνίου*. Vid. Wyttenb. Select. Princ. Hist. p. 419.

P. 69. Fr. I. Ἔφορος — ἀπελείφθησαν.] Pro γενομένων cum Casaubono omnino legendum est προγενομένων.

P. 72. Fr. IV. Χάρητι — διὰ Λυσάνδρου.] Mirum quantum interpretes cruciarunt corrupta illa διὰ Λυσάνδρου Perperam Wichersius ad Theopomp. p. 227. legit διαλυθῆναι, non sentiens praestantiam coniecturae Schweighaeuseri, corrigentis διαναλωθῆναι (pro quo tamen mallem ἀναλωθῆναι); quod verbum egregie convenit dativo Χάρητι, qui casus huic verbo fere iungitur. Hinc solennis in Atheniensium psephismatis formula: ἐκ τῶν εἰς τὰ ψηφίσματα ἀναλισκομένων τῷ δήμῳ.

P. 77. Fr. IX. Plut. de Alex. fort. II. p. 342. Ἐκ τούτου — φησίν.] Videndum an hic forte in nomine Φύλαρχος lateat Κλείταρχος. quem haud scio an Duris in enarrandis Alexandri M. rebus gestis hic illic fuerit secutus.

P. 78. Fr. XI. Νὺξ δ' ἄρ' ἔην — ἄστροις.] Maiorem vellem operam collocasses in istis Tzetzae versibus: nam hic furem praehendisses. Versus enim sextus, quem bis suis inseruit Tzetzes (vid. Posthom. 720.), pluma est, quae Leschae excidit, cuius nomine addito citatur ab ipso Tzetze ad Lycophr. 344. Ante eum iam citaverant Schol. Eurip. Hec. 892 et Eudoc. p. 31., utrique itidem τῷ τὴν μικρὰν Ἰλιάδα πεποιηκότι (Leschae) tribuentes. Sequens versus corruptus est et male interpunctus. Totus locus hoc modo sanandus:

> Νὺξ δ' ἄρ' ἔην μέσση, λαμπρὴ δ' ἐπέτελλε Σελήνη,
> παρθένος, εἰςελάσασα δρόμον μεγάλοισιν ἐν ἄστροις.

Inde simul intelligitur duos istos versus arcte invicem

cohaerere; quorum et alter: παρθένος, cet., concinnior est, quam ut e Tzetzae officina possit esse profectus. Quod dubium videbitur nemini, cui curvis recta dignoscere licet. Quapropter suspicio oboritur novum fortasse Leschae versum hic nos esse lucratos, nusquam, me sciente, si hunc locum excipias, obvium. Nec me fugit Σελήνην, quae hic παρθένος dicitur, ab Homero (?) Hymn. 32, 14 sq. vocari matrem Pandiae, Iove conceptae. Sed in talibus parum sibi constabant veteres. Ceterum cavendum, ne e versu 11 colligamus Hellanicum et Duridem poetas fuisse; quod accidisse video Dodwello. Huic enim fucum fecit verbum ἀείδειν; ita quidem, ut statuerit Hellanici opus, unde sua habet Tzetzes, fuisse metricum. Quod vel coniuncta Duridis mentione redarguitur. Retulerat Hellanicus in Τρωϊκοῖς: Duris in Macedonicis. Vidd. Dodwell. de vet. Graec. et Rom. Cycl. p. 803 sq. Sturz. ad Hellan. p. 152 sq., qui temere Dodwello suffragatur. Ἀείδειν h. l. nil aliud est nisi *referre*, quo sensu etiam dicitur ὑμνεῖν. Eodem modo Latini *canere*. Ovid. Heroid. I, 28. Conf. quoque Welcker Syllog. Epigr. Graec. p. 50. not.

P. 82. Fr. XIII. Ἐν μόνῃ — τῷ Μιθρῃ.] Ante τῷ Μιθρῃ excidit articulus τῇ.

P. 83. *Inter omnes — auctoribus.*] Ex hisce Plinii verbis colligas, tum citatos scriptores de pyramidum auctoribus inter se invicem dissensisse, tum de ea re parum constitisse ipsi Plinio. Quid *Duris* tradiderit prorsus non liquet. Herodoti testimonium (II, 124—136.), quo Cheops, Chephren et Mycerinus trium maiorum pyramidum conditores vocantur, recentiores harum rerum periti (Cham-

pollion, Wilkinson, Rosellini, Salvolini, Lepsius) disquisitionibus suis egregie confirmarunt. Conf. quoque C. Leemans, Lettres sur les monumens Egypt. cet. Dissensio autem, quam Plinius inter scriptores obtinuisse refert, fortasse non tanta fuit, quam quidem videtur; quum nomina Aegyptiaca regum, non facile ad Graeci sermonis formas redigenda, diversis modis a Graecis scriptoribus, linguae et literaturae Aegyptiacae vulgo imperitis, exprimi potuerint; ita quidem ut de diversis hominibus sermo fuisse videri possit, quum revera unus tantum idemque rex significaretur. Sic, ut hoc utar, Cheops, qui a Diodoro Sic. I, 63. Chembes, ab aliis Chemmis dicitur, est *Suphis* s. *Schouphou* s. *Chouphou*; Chephren (Cephren Diodori) est *Sjafre* s. *Schephre*; Mycerinus est *Menca-re* s. *Men-ca-ri*. Duorum priorum nomina in ipsis pyramidibus inque earum vicinia reperta auctores satis arguunt. Conf. Diod Sic. I, 64. Mycerini autem non tantum nomen, sed etiam scrinium ligneum, cadaveris partem continens, in ipsa ab eo exstructa pyraramide nuper (1837) est repertum; quae reliquiae hodie asservantur in Museo antiq. Britann. Conff. Eclaircissements sur le cercueil du roi Memphite Mycérinus, traduits de l'Anglais et accompagnés de Notes par Ch. Lenorment; suivis d'une Lettre sur les inscriptions de la grande pyramide de Gizeh par le Dr. Lepsius. Paris. 1839.

P. 84. Fr. XIV. *ἀναβάδην τε μετ' αὐτῶν καθήμενον.*] *Ἀναβάδην καθῆσθαι* est *sedere pedibus scabello impositis, scabello conscenso* (*ἀναβαίνειν*): qui tum apud Graecos, tum apud Orientis populos, ut h. l. edocemur, feminis mos fuit. Dio Chrys. p. 588. d. *ἀποδιδράσκων εἰς τὴν γυναικωνῖτιν καθῆστο ἐπὶ χρυσηλάτου κλίνης ἀναβάδην ὑπὸ*

ἀλουργέσι παστοῖς. Eodem modo sedebant scribentes: Aristoph. Acharn. 399 et 410; quippe quia δέλτον genibus imponebant. Pseudohom. Batrachom. 3. Sunt, qui putant hic cogitandum esse de Sardanapalo *indecore* inter feminas assidente. Vid. Baehr. ad h. l. Sed haec loci vis non est: hoc sibi vult Ctesias, regem effeminatum feminarum more (ἀναβάδην) inter ipsas feminas (μετ' αὐτῶν) sedisse.

P. 94. Fr. XX. Τοῦτο δὲ — ἐνίοτε ἦν.] Corruptela latet in ἐνίοτε ἦν, quod vix Graecum esse credo. Quapropter scriptum mallem ἐν ἔθει ἦν. Eodem modo Plut. Comp. Demetr. cum Anton. 4: γεγονὸς ἐν ἔθει τοῖς Μακεδόνων βασιλεῦσιν. Nam sequens γοῦν, *saltem*, restringendi significationem habens, nullo modo referri potest ad ἐνίοτε, quod requireret γάρ. Sensus hic est: *Hoc et apud Alexandrum moris erat. Saltem, quum aliquando duces numero circiter sexcentos epulo excipiebat*, cet. Conf. quoque Hegesand. apud Athen. I, 18. a.

P. 96. Fr. XXII. Duobus mendis haec Plutarchi laborant. Primum latet in εἶδεν, cui substituendum οἶδεν. Porro pro στρατευομένους lege συστρατευομένους: obliterata enim sunt συ contiguis.

P. 97. Fr. XXIII. ὥσπερ Ἀντίπατρον.] Suspicionem haec moverunt. Itaque, quum GEELIUM de hac difficultate consulerem, statim correxit ὥσπερανεὶ πατέρα; mihi relinquens, ut explicarem coniecturam, ac, si possem, argumentando munirem. Quod lubenter aggredior, quoniam εὐστοχώτατα coniecisse videtur. Primum quaeritur an ullo pacto defendi possit vulgata lectio, secundum quam Alexander Phocionem *solum, uti Antipatrum*, in

epistolis solenni illa formula τοῦ χαίρειν fuerit allocutus. De Antipatro res nusquam traditur. Macedoniae et Graeciae eum praefecerat Alexander in Asiam profecturus (Arrian. I, 11.), saepiusque absens, ut par est, literas ad eum misit (Plut. Alex. 46, 47, 55, 57.): nec tamen usque adeo eius fide nitebatur rex, ut prae ceteris ducibus observantiae et amicitiae documentis eum cumularet. Contra: pluribus evincitur Antipatrum non omni suspicione regni affectati caruisse. Plut. ib. 74: μάλιστα δὲ Ἀντίπατρον ἐφοβεῖτο. Conf. ib. 77. Eodem modo et ipse Alexander suspectus erat Antipatro. Plut. ib. 49. Porro manifesto sibimetipsis obloquuntur Plutarchi verba: nam si unum Phocionem allocutus est Alexander μετὰ τοῦ χαίρειν, vereor an recte dici possit id eum fecisse ὥσπερ Ἀντίπατρον: nam tum duo fuerunt. Frigidior sane est Schefferi opinio, putantis vocabulum μόνον significare Phocionem unicum fuisse ex peregrinis et exteris, cui hoc contigerit. Vid. Scheff. ad Ael. V. H. I, 25. Ceterum vix puto id recte Graece dici posse: additum enim foret καὶ aut τὸν Ἀντ. ne significaret: *tamquam Antipatrum aliquem.* Scripturus erat, opinor, vel Plutarchus, vel Duris: ἀφεῖλε τῶν ἐπιστολῶν τὸ χαίρειν πλὴν ἐν ὅσαις ἔγραφε Φωκίωνι καὶ Ἀντιπάτρῳ· τούτους δὲ μόνους μετὰ τοῦ χαίρειν προσηγόρευε; et verba τοῦτον — προσηγόρευε tum demum inficetae tautologiae absolvi poterunt, si eximiam quandam huius reverentiae rationem continent. Quid rei mihi esse videatur, dicam. Alexander, Asia potitus, more huius regionis regum, μοναρχικώτερον se gerere incepit, Persarumque illam προσκύνησιν admisit (Plut. Alex. 74.) et, quo facilius regiam dignitatem tueretur, in epistolis, quas ad duces suos regionumque praefectos aliosque mittebat, τὸ χαίρειν propterea fortasse

omisit, quia hoc ei maius observantiae documentum continuisse videbatur, quam a rege subdito dari posset. Unum tamen omnium excipiebat rex, nimirum Phocionem: cuius animi integritate et virtute adeo erat captus, ut, qui omnibus sese maiorem crederet, Phocionem maxima reverentia prosequeretur, ita quidem, ut ad hunc, tamquam ad patrem, scribens, *τὸ χαίρειν* omittere quasi non fuerit ausus. Iam vero aliud accedit argumentum. Aelianus l. l., qui eundem Duridis locum excerpsit, sic ait: *Ἀλέξανδρος... Φωκίωνι... μόνῳ.... γράφων, προςετίθει τὸ χαίρειν*; quibus subiungit: *οὕτως ἄρα ἠρήκει τὸν Μακεδόνα ὁ Φωκίων.* Num dubitari potest his verbis Aelianum expressisse vera Plutarchi verba: *ὡςπεραν εἰ πατέρα?* Quae sequuntur apud Aelianum usque ad capitis finem eidem Duridi deberi non dissimile veri est.

P. 98. Fr. XXIV. *τὴν μὲν βακχικώτερον κ. τ. λ.*] Bacchi cultui deditam se ipsa profitetur Olympia in Epistola ad filium Alexandrum apud Athen. XIV, 659. f. Omnino quoque conferenda sunt verba Plut. Alex. 2. In sequentibus *καὶ παρὰ Κυννάνῃ* delendum est *καί*.

P. 102. Fr. XXVIII. *καὶ ταῖς μὲν δαπάναις — Φοινίκας.*] Quid illis temporibus fuerit Macedones superare conviviorum splendore, optime intelligitur perlecto insigni fragmento *ἐπιστολῆς δειπνητικῆς* Hippolochi, missae ad Lynceum, Duridis fratrem, (Athen. IV, 128. a. sqq.), ubi Carani, Macedonis cuiusdam, nuptiae describuntur. Illustria quoque fuerunt convivia Antigoni et Ptolemaei: nec minus celebratur illud, quo Lamiam excepit Demetrius Poliorcetes; de quibus omnibus egerat Lynceus in Epistolis ad Hippolochum. Conf. Athen. l. l. — Phoenices,

ut ex h. l. discimus, munditia erant conspicui. Quapropter, qui comparationem hos inter et nostrates instituere velit, inde aliud in rebus domesticis convenientiae argumentum petere possit. Sed fugerunt haec V. D. Dornseiffen in Compar. inter Phoenic. et Neerl. inserta Symbol. Liter. Vol. II. p. 49.

Ibid. *ἀνθινὰ — δημιουργῶν.*] Locus corruptus et vulgo male intellectus. Aelianum, qui prae festinatione negligentissime hunc locum descripsit, iam pridem explosit Perizonius. Nullo enim modo hic de pavimentis, veris floribus conspersis, cogitare licet. Duridis verba sic videntur legenda: *ἀνθινά τε τὰ πολλὰ τῶν ἐδαφῶν ἐν τοῖς ἀνδρῶσι κατεσκεύαστο, διαπεποικιλμένα ὑπὸ δημιουργῶν* i. e. *et pavimenta in virorum conclavibus erant musiva, floribus variegata ab opificibus*; i. e. pavimenta illa musiva flores referebant. In hoc autem Demetrii *τρυφὴ* et effeminatum ingenium cernebatur, quod illud obtinebat *ἐν τοῖς ἀνδρῶσι.* Ceterum de hoc loco conf. Letronnius Lettres d'un antiquaire a un artiste p. 311. sq.

Ibid. *ὁ τοῖς ἄλλοις τιθέμενος θεσμούς.*] Nae parum curassent Athenienses Demetrii commentarios *περὶ τῆς Ἀθήνησι νομοθεσίας*, quos Tu hic memoras: non magis, puto, quam eius aliorumque sexcentorum libros *περὶ νόμων.* De veris iisque sumtuariis legibus hic cogitandum est; quas revera tulit promulgavitque Demetrius ad minuendam populi luxuriam. Harum unam, funerum sumtus spectantem, memorat Cic. de Leg. II, 26. *Iste igitur — praefecerat.* Haec ipsam legem spectant. At in opere *περὶ τ. Ἀ. νομοθεσίας* lecta fuerunt, quae refert ibid. 25. *Postea — sunt.* et 26. *sed ait — Romae est.*

Ibid. ποιήματα — γεραίρει.] Nomen poetae Καστορίωνος (quem Tu minus recte *Castarionem* appellas) egregie reposuit Leopardus; fueritque hic idem ille Castorion Solensis, cuius iambica quaedam satis mira affert Athen. X, 455. a. At vero in quod metri genus eius versus, ut hic eos habemus, sint fusi, equidem non video. Puto eos misere esse turbatos, et anapaesticos esse, quos hoc modo refingo:

⏑ ⏑ ἔξοχα δ' εὐγενέτης ζαθέοις
ἡλιόμορφος τ'
ἄρχων τιμαῖς σε γεραίρει.

Pro ἐξόχως δ', quo metrum constet, reposui ἔξοχα δ'; post ἡλιόμορφος addidi τ': nam ultimam ancipitem non fert systema anapaesticum; quo facto simul ingratus epithetorum cumulus frangitur. In εὐγενέτης et ἡλιόμορφος servari potest Atticismus. Vid. Aristoph. l. mox l. Vocabula ἡλιόμορφος et σέ sedes mutare iussi. Totius loci sensus hic est: *eximie nobilis* (*praenobilis*) *Solique similis Archon* (Demetrius) *Te* (O Bacche!) *divinis muneribus honorat.* Efficiebant autem, ni fallor, hi versus particulam initii carminis lyrici, quod tamen non totum anapaesticis versibus constitisse putandum est; cuiusmodi duo luculentissima exempla exstant apud Eurip. Bacch. 64 sqq. et Aristoph. Av. 1718 sqq.

P. 109. Fr. XXXII. καὶ ἐφιστάμενοι] Non dubito, quin hic legendum sit ἐφισταμένου; nimirum Δημητρίου, revocandum e praecedente αὐτῷ. Vulgus autem Demetrium, sicubi prae multitudine hominum procedere nequibat, consistentem cantilenis blandissimis excipiebat.

Ibid. *καὶ αὐτὸν τὸν ἰθύφαλλον.*] De hoc carmine egit V. C. Eichstädt in libro: *Ithyphallicum carmen Dem. Pol. cantatum, quum ad sacra Cereris Athenas reverteretur.* Ienae 1807; quem tamen inspicere mihi non contigit. Post *τὸν ἰθύφαλλον* plura excidisse, quam unum verbum *παρατίθεται*. iam vidit Casaubonus, duos priores carminis versus interiisse recte statuens. Corruptionis causa fortasse in eo quaerenda, quod secundus versus desiit in idem vocabulum *ἰθύφαλλον*. Porro maiore lacuna locum hiare vel inde intelligitur, quod carmen statim incipit a vocabulo *ὡς* (a Te minus recte mutatum in *ὥς*) quod h. l., ut sexcenties, rationi reddendae egregie inservit. Quae exciderunt, sine dubio continebant adhortationem populi ad laetitiam, in hunc fere modum: *Gaudete Athenienses! saltate et Ithyphallicum carmen cantate, quum* (*ὡς*) *maximi deorum*, cet. Eodem fere modo orditur Ithyphallicum carmen apud Athen. XIV, 622. b.

Ἀνάγετ', ἀνάγετε κῶμον, εὐρυχωρίαν
τῷ θεῷ ποιεῖτε·
Ἐθέλει γὰρ ὁ θεὸς ὀρθὸς ἐσφυρωμένος
διὰ μέσου βαδίζειν.

Ubi *γὰρ* idem valet ac *ὡς* in carmine, de quo nunc sermo est. Ceterum vocabulum *ἰθύφαλλος* seriore demum aetate de ipso carmine est usurpatum. Antiquitus, ut videtur, *τὸ Φαλλικὸν* dicebatur; sic saltem illud vocat Aristoph. Acharn. 261. Conf. quoque Hesych. v. *Φαλλικόν*.

P. 110. v. 9. *Σεμνόν.*] Leg. *Σεμνός.*

Ibid. v. 25. *Αἰτωλός.*] Leg. *Αἰτωλόν.* Sic duo Codd. Par.

Ibid. v. 34. *σπίνον.*] *Σπίνος* est *fringilla*, avis parva, qua vescebantur veteres. Aristoph. Av. 1078:

ὅτι συνείρων τοὺς σπίνους, πωλεῖ κατ' ἑπτὰ τοῦ 'βολοῦ.

Σπίνος, metro manifesto indicante, paroxytonon est: σπῖνα autem, quod teste Hesych. in v. idem significat, properispomenon. Et hinc elicienda vera huius loci lectio, restituta a Schweigh. — Codd. in alia omnia abeunt.

P. 114. Fr. XXXIII. ἐπὶ περόνῃ — τραγικόν.] Animum hic inducere non possum, ut probem emendationem Tuam, quamquam speciosam: καὶ ἐπιπόρπημα. Quid enim illud ἐπιπόρπημα τραγικόν? Non dubito, quin hic sermo sit de vestimenti quodam genere, ξυστίδι superiniecto, non vero de ornamento sive fibula. Nam ξυστίς tantummodo est ἔνδυμα i. e. χιτών, licet ea fuerit ποδήρης; ita ut in corruptis ἐπὶ περόνῃ nomen τοῦ περιβλήματος latere suspicer. Fortasse legendum ἐμπερόνημα τ' ἐλάμβανε τραγικόν: fueritque tragicum illud ἐμπερόνημα fortasse non diversum ab eo vestimenti genere, quod στατός vocatur a Plut. Alcib. 32., ubi στατοὶ et ξυστίδες coniunguntur, tanquam ad τὸν ἐναγώνιον κόσμον pertinentes.

P. 120. Fr. XXXIV. καὶ τὸν θάνατον — γενόμενον.] Pro παρ' αὐταῖς ταῖς ἐπιθυμίαις legam παρ' αὐτῆς τῆς ἐπιθυμίας τ. μ. γενόμενον, i. e. *eius mortem vini cupiditate esse effectum.* Item vereor, ut Duris loci Homerici sensum recte perceperit. Non enim hoc sibi vult Agamemnon, inebriatum se esse occisum: sed, ut commonstret horrendam sceleris atrocitatem, in media epuli laetitia se mactatum esse dicit, οἰκτίστῳ θανάτῳ, tanquam βοῦν ἐπὶ φάτνῃ. Totus enim Homeri locus ad misericordiam et indignationem excitandam egregie est comparatus.

P. 123. Fr. XXXVII. ὑφ' Ἥρας ζηλοτυπουμένης.] Immerito hic Tu ζηλοτυπουμένην. ut recte est in editionibus, apud Photium et Suidam, mutasti in ζηλοτυπουμένης. Corrigendus potius Apostolius. Subintelligendum enim pronomen αὐτὴν (Lamiam), quod facile repetas ex praecedente αὐτῆς. Dicunt ζηλοτυπεῖν τινα, et, passivo sensu, ζηλοτυπεῖσθαι ὑπὸ τινός: non vero ζηλοτυπεῖσθαί τινα, sensu activo. Hoc habet Schol. Aristoph.: illud Eudocia l. a Te l.: ἔνθεν (l. ἔνθα) αὐτῇ συνελθὼν ὁ Ζεὺς οὐκ ἔλαθε τὴν Ἥραν, ἥτις ζηλοτυποῦσα τὴν Λαμίαν τὰ γενόμενα αὐτῆς τέκνα ἀνῄρει (l. ἀνῄρει) ἀεί. In eo discrepat Schol. ab Eudocia, quod haec Iunonem Lamiae liberos interfecisse refert: quum ille ab ipsa Lamia hoc factum scribat.

P. 124. Fr. XXXVIII. Rectius fortasse hoc Fr. refertur ad Historias, indidemque depromtum sit, unde ea, quae Duris de pyramidibus memorasse dicitur a Plinio. Conf. p. 83. Eadem enim opportunitate, qua res ab Alexandro in Aegypto gestas enarravit, illum huius regionis θαυμαζόμενα retulisse ex utroque loco colligitur. Hoc ei moris fuisse indicant Fr. XVIII, XIX, XXV, XLII.

P. 126. Fr. XL. Suid. Εὐρύβατος, πονηρός. ἀπὸ τοῦ πεμφθέντος ὑπὸ Κροίσου ἐπὶ ξενολογίαν μετὰ χρημάτων, ὥς φησιν Ἔφορος, εἶτα μεταβαλλομένου πρὸς Κῦρον. Ἦν δὲ Ἐφέσιος. Οἱ δὲ τὸν Κέρκωπα τὸν ἕτερον. Διότιμος Ἡρακλέους ἄθλοις.

Κέρκωπές τοι (θ' οἳ Bergk.) πολλὰ κατὰ τριόδους πατέοντες
Βοιωτῶν σίνοντο· γένος δ' ἔσαν Οἰχαλιῆες
Ὦλος τ' Εὐρύβατός τε, δύω βαρυδαίμονες ἄνδρες.

Νίκανδρος Αἰγίνεον (*Αἰγιναῖον* Hemsterh.) *Εὐρύβατον πανουργότατον· οὗ μνημονεύει Ἀριστοτέλης ἐν α' περὶ δικαιοσύνης. Δοῦρις δὲ ἐν δ' Τῶν περὶ Ἀγαθοκλέα ἀπὸ τοῦ Ὀδυσσέως ἑταίρου.*

Διότιμος Ἡρακλέους ἄθλοις.] Totum locum memoravi ad notandam insignem Düntzeri negligentiam dicam an *ἀκρισίαν*, qui, in libro: Die Fragm. d. Episch. Poes. d. Griech. p. 59. de Diotimo agens, hisce defungitur: »Athenäos bemerkt XIII, 603. d.: *Διότιμος δ' ἐν* »*τῇ Ἡρακλείᾳ Εὐρυσθέα φησὶν Ἡρακλέους γενέσθαι παι-* »*δικά, διόπερ καὶ τοὺς ἄθλους ὑπομεῖναι.* Sehr zweifel- »haft ist est, ob diese *Ἡρακλεία* ein Gedicht gewesen." Sed dubitationi nullus fuisset locus, si, inspecto Suida, hi Diotimi versus Düntzero innotuissent. Nam *Ἡρακλεία* et *Ἡρακλέους ἆθλοι* nomine tantum differunt: quamvis hoc arctiore fortasse sensu sit dictum. *Ἡρακλεία* enim eodem modo dicitur, quo *Ὀδυσσεία*, quam quis eodem iure, sed accuratius, *Ὀδυσσέως νόστον* vocare possit. Fuit igitur Diotimi Heraclea sine dubio *carmen* idque epicum, licet id ab Athenaeo non diserte indicetur. Vocabulum *φησὶν*, quo hic utitur de Diotimo, et poetam et solutae orationis scriptorem spectare potest. Eodem modo labentis graecitatis scriptores de poetis usurpant verba *ἱστορεῖν* et *γράφειν*. Schol. Apoll. Rh. I, 1357: *Κιναίθων ἱστορεῖ ἐν Ἡρακλείᾳ.* Pausan. II, 18. 5. *Κιν. ἔγραψεν ἐν ἔπεσιν.* Contra de solutae orationis scriptoribus Tzetzes non veritus est dicere *ἀείδειν*. Vidd. quae de hoc verbo annotavimus supra ad Fr. XI. Diotimi igitur, quos retulimus, versus, eius fragmentis omnino sunt inserendi. De Cercopibus conff. Lobeck. Aglaoph. p. 1296. sqq. Bergk. Comm. de Com. Attic. antiq. p. 24. sqq. Meinek. Fragm. Com. antiq. V. I. p. 24. sq.

Ὦλος τ' Εὐρύβατός τε.] Idem Diotimi versus, misere depravatus, latet apud Schol. Lucian. Alex. c. 4., e Cod. Vindob. editum a Schubart. in Zimmerm. Diar. 1834. p. 1134: *Ὑπὲρ τοὺς Κέρκωπας· οὗτοι ἐν Βοιωτίᾳ διέτριβον, Οἰχαλιεῖς ὄντες γένος· σύλλος καὶ τρίβαλλος ὀνομαζόμενοι, ἐπίορκοι καὶ ἀργοί, ὡς Κρατῖνος, Ἀρχίλοχος* (*Κρ. Ἀρχιλόχοις* Bergk.) *καὶ Διότιμος*

σύλλοι τε τρίβαλλοί τε δύο βαρυδαίμονες ἄνδρες.

Corruptum iam hunc versum legit Scholiasta: quapropter pro *σύλλος καὶ τρίβαλλος ὀνομ.* restituendum: *Ὦλος καὶ Εὐρύβατος ὀνομ.*, et in versu, ipso poscente metro, *Ὦλος τ' Εὐρύβατός τε.* cet. Sed Cercopum nomina *Σύλλος* et *Τρίβαλλος* pluribus frustra tueri conatur Bergkius l. modo l., putans a librario locum esse turbatum diversaque testimonia, Cratini nimirum et Diotimi, in unum esse conglutinata: ita ut Cercopum nomina *Σύλλος* et *Τρίβαλλος* Cratino debeantur. Recte Meinekius opinatur vocabula *Σίλλοι τε Τρίβαλλοί τε* genuina nomina *Ὦλος τ' Εὐρύβατός τε* e versu expulisse: perperam tamen hic suffragatur Bergkio tradenti Cercopas a Cratino vocatos fuisse *Sillum* (sic) et *Triballum*. *Σίλλος derisor* est: sed nemo unquam hoc nomen Cercopibus tribuit. Confitetur hoc ipse Bergkius. Ceterum multos hic affert locos, ubi *Τρίβαλλοι* memorantur: nullum tamen unde ullo pacto colligi possit eosdem hos esse atque Cercopes. Et hoc erat demonstrandum.

Ibid. *Δοῦρις δὲ — ἑταίρου.*] E loco Homeri Od. XIX, 247. non sequitur Eurybatem, Ulissis sodalem, non fuisse *πονηρὸν* atque *πανουργότατον*. Qualis enim ipse Ulisses, Dolonis Rhesique interfector, *ὃς πᾶσι δόλοισιν Ἀνθρώποι-*

σι μέλει? Od. IX, 19. Par enim, ut aiunt, pari gaudet. Ἄρτιος (ἀραρίσκω) significat *aptus*, *consentaneus*: ἄρτια εἰδέναι *prudens*, *sollers* (ἀρτίφρων) *esse*: ἄρτια βάζειν (Od. VIII, 240.) idem quod πεπνυμένα βαζ. *consentanea loqui*.

P. 126. Fr. XLI. ὥς φησι Δοῦρις.] Mirum sane accidere debet Duridem hic testem adhiberi, qui floruit anno a. C. circiter 270. Quapropter pretiosissimum hoc Fr. vocare non dubito: quippe quo edocemur Duridem inter antiquissimos fuisse Graecorum, qui quaedam tradiderunt de Romanis, quorum ante Theopompum nemo fecerat mentionem. Plin. H. N. III, 9. Aristoteles Romam a Gallis captam narravit, sed servatam a *Lucio* quodam, qui tamen est *Marcus* Camillus: Plut. Cam. 22; e quo Plutarchi loco discimus eandem quoque rem tetigisse Heraclidem Ponticum. Qui primus Graecorum diligentius quaedam de Romanis tradidit, fuit Duridis praeceptor Theophrastus. Plin. l. l. Conf. Krause Vit. et Fr. Hist. Rom. p. 30. sqq.

P. 127. συστρατηγὸς ὢν Τορκουάτου.] Res toto hoc fragmento enarratae a Clintono referuntur ad annum a. C. 337. (F. H. T. III. p. 498. not. a.); quo anno consules hic fuisse putat T. Manlium Torquatum III et P. Decium Murem, quorum hic se pro patria devovit. Liv. VIII, 3. sqq. Quod tamen factum esse in bello contra Latinos, Campanos, Siducinos et Auruncos ex eodem Livii loco et e Fastis Triumph. ad h. a. intelligitur. Sed hic in anno errat Clintonus, qui falso Diodori testimonio se decipi passus est. Hic enim Lib. XVI, 89. sq. tradit T. Manlium Torquatum et P. Decium consulatum gessisse eodem anno, quo Athenis archon fuerit Phrynichus (Ol. 110, 4. a. C.

n. 337.). Verum, quum e Fastis Triumph. discamus Manlium III. Cos. triumphasse de Latinis, cet. anno U. C. 413 (Varr. 414.), sponte intelligitur non in Phrynichum sed in Nicomachum archontem (a. C. 340.) Manlii Deciique consulatum incidere. Tribus igitur annis prius horum consulatus Diodoro fuisset commemorandus. Quum autem hoc loco diserta mentio fiat Samnitum et Etruscorum, magis placet Tecum haec referre ad bellum anno U. C. 458. a. C. 295. Q. Fabio V et P. Decio IV Coss. contra iunctos Samnitum, Etruscorum, Umbrorum et Gallorum copias gestum: quod indicatur verbis *Σαμνειτῶν, Τυῤῥηνῶν καὶ ἑτέρων ἐθνῶν*: Umbros intellige et Gallos. Liv. X, 24. Fasti Triumph. et Consul. ad h. a. Recte igitur Tu statuisti duo ista bella a Tzetza propter ambos Decios esse confusa, quae causa est cur hic Torquatum Decio collegam fecerit; qui tamen fuit Q. Fabius Maximus V Cos., ut recte tradit *Duris* in Diod. Excerpt.; unde evincitur non *Duridem* Tzetzae errori ansam praebuisse. Demiror autem Clintono accidere potuisse, ut alii, quam nos facimus, anno hoc Fr. assignaverit. Nam apud Diod. XVI, 89., ubi Manlii Deciique consulatus memoratur, ne verbum quidem legitur de omnibus iis, quae Duridis auctoritate et a Tzetza et in Diodori Eclogis narrantur. Sine dubio igitur Tzetzes et qui Diodorum excerpsit sua habent e Diod. Lib. XXI, nunc deperdito, qui incipiebat ab anno a. C. 301. Ol. 119, 4.; ubi, quum ventum esset ad annum a. C. 295., commemoratum erat bellum Samniticum, adhibito Duridis testimonio adhuc servato. Nec mirum plenius rem legi apud Tzetzem, quippe qui relata a Duride, Diodoro et Dione coniunxit. Quid *Duridi* debeat ex Diodori Excerpto manifesto colligitur.

Iam paucis dicendum est de opportunitate, qua Duris

Romanorum potuerit iniicere mentionem. Quum hic, si Annales Samiorum excipias, ea maxime sibi perscribenda sumserit, quae sua aetate accidissent, composuit etiam opus τὰ περὶ Ἀγαθοκλέα inscriptum. Agathocles, Syracusarum tyrannus (317—289 a. C.), multa sine dubio in magna Graecia gessit, quae Duridi ansam praebere potuerunt, ut de Italiae conditione atque incolis dissereret (Diod. Sic. Excerpt. L. XXI passim) Romanosque commemoraret, qui illo regnante cum finitimis populis conflictabant. Quapropter audacius egit Westerm. ad Voss. H. G. p. 132. not. 20. hoc Fr. Duridis Μακεδονικοῖς i. e. Historiis vindicans, quorum argumentum, quamquam eadem tempora spectans, tamen longius remotum est ab iis, quae hoc Fr. continentur. Alia quaestio est, quid rei sit, cur hoc magis tempore quam ante Romanorum fama per Graeciam percrebuerit. Scripsit haec fortasse Duris post annum a. C. 275. i. e. post bellum a Pyrrho contra Romanos gestum (280—275). Nec enim mirum huius belli famam iam mature ad reliquos Graecos emanasse: praesertim quum Tarentini, et ipsi Graeci, ei causam praebuerint. Fortasse ab eo inde tempore paulo accuratior Romanorum apud Graecos notitia. Antiquissimos illorum res Duridis aetate parum exploratas fuisse Graecis, testatur Fr. XXXIX; unde intelligitur vel notissima illa de Cloelia Samium nostrum prorsus latuisse. Sic autem universe de historia est statuendum: tum demum in populorum res inquiri eorumque fata scripto mandari solere, quum hi sive ob auctam potentiam, sive aliam memorabilem ob causam ceteris magis cultis nationibus innotuerunt. Hinc antiquissimae populorum res tenebris involutae et obscuratae: quod inde ortum, quod post ingens demum temporis spatium, quam ipsae res accide-

runt, hae a scriptoribus literis coeperunt consignari. Cuius rei ego luculentiora exempla in veterum populorum historia haud scio an reperiantur quam Macedonum et Romanorum; quorum illi Philippo demum et Alexandro M., hi bellis contra Pyrrhum et Carthaginienses gestis, Graecorum oculos maiorem in modum in se converterunt.

P. 129. Fr. XLIV. Schol. Theocr..... *νοῆσαι*.] Ex *Argum. Idyll.* reponendum *ἐπινοῆσαι*. Dorismum in vocabulo *Πολύφαμον* fortasse typothetae debemus.

P. 139. Fr. XLVIII. *Οἱ δ' αὔτως* cet.] Corruptissimos Asii versus iam multi suis emendationibus cumularunt. Quidni et ego meam addam? Nimirum v. 3. fortasse hoc modo legendus: *Χιονέοις δὲ χιτῶσι πέδον χθονὸς εὐρὺ ἔσαιρον*. V. 1. pro *αὔτως* scribendum *αὐτως*: illud enim plane vitiosum est. Nam, ut ab *ὅς* derivatur *ὡς*, sic ab *αὐτός* formatur *αὐτως*, *sic*, *ipso hoc modo*.

P. 147. Fr. LII. *Τοῦτον οἱ μὲν πλούσιον, Λ. δὲ πάροικον* cet.] Haec sic stare non posse nemo doctorum non vidit. Perperam tamen plerique suspicati sunt mendum latere in *πάροικον*: quum illud potius quaerendum est in *πλούσιον*, quod facile corrumpi potuit ex *πολίτην*. Nam vocabula *πολίτης*, *πόλεμος*, *πόλις*, *πολύς*, seculo XIII et XIV eodem siglo *πο*$^{\lambda}$ scribebantur (Bast. Comm. palaeogr. p. 834.): et imperitus librarius hic legere potuit *πλούσιος*.

P. 152. Fr. LVI. *Τῆς σοφίης — πλεῖον*.] Improbanda omnino est ratio, quam in hoc versu interpretando iniit Menagius, quem Te secutum esse doleo. *Quia scilicet*,

inquit ille, *ultimus fuit sapientum.* Quo nihil falsius dici potest. Vertendum: *sapientiae in me summa perfectio est.* Recte haec reddidit Grotius Anthol. Gr. T. III. p. 333. ed. H. de Bosch:

> Consummata in me sapientia: visne aliud quid?
> Pythagorae dic ergo meo, longe omnibus ipsum
> Graiugenis praestare: nihil mentitus in hoc sum.

Ut *τέλος* (de quo Heind. ad Plat. Charm. 110. ad Gorg. 139.) sic et *τέρμα* tritum est in talibus. Inscriptio columellae sepulcralis Mus. archaeol. Lugd. Bat. (ed. Boeckh. C. I. 800 b.), Ol. 95 non recentior:

> *Ἐνθάδε τὴν πάσης ἀρετῆς ἐπὶ τέρμα μολοῦσαν*
> *Φαναγόραν κατέχει Φερσεφόνης θαλαμός.*

Vidd. quoque Anaxagorae Epitaph. apud Diog. Laert. I, 10. 15. et Parrhasii versus, quos tabulis suis pictis inscribere solebat, apud Athen. XII, 543. d. — Pro *ἦν δέ τι πλεῖον* feliciter coniecit Menag. *ἦν δ' ἔτι πλ.*; quamquam dubium videri potest, quid voluerit ipse epigrammatis auctor. Scripsit autem hic *ΔΕΤΙ*; quae, ut saepius, bifariam distingui possunt. Hanc *distinctionem* s. *dispositionem*, quam in transscribendis et explicandis vocabulis veterum more una serie scriptis sibique invicem coniunctis, adhibebant Grammatici, *διαστολὴν* vocabant: Etym. M. v. *Δι' ἀσπίδεος*; et *distinguere*, *interpungere* *διαστέλλειν*. Schol. Hom. Il. IX, 110. XIII, 260. — Ceterum tantas laudes hoc versu Pherecydi tributas nemo mirabitur, memor celebritatis, qua ille inter populares fruebatur. De qua re consulendus Sturz. ad Pherecyd. p. 31 sq.

P. 160. Fr. LX. *οἱ δὲ, ὅτι — Σαμαίνῃ.*] His verbis continetur Fr. Duridis, quo pertinent: *τὸ δὲ πλάσμα Δούριδος.* Molesta illa *ὅ ἐστι — Νόστων,* mala fortuna hic intrusa, nexum frangunt et locum obscurum reddunt. Bergkius, qui haec Duridis tetigit in Aristoph. Fragm. p. 84. sq., miro sane modo corrigendum censet: *τὸ δὲ κόλασμα Δοῦρις.* Unde colligas loci vim non bene assecutum esse virum eruditissimum. Nam non atrox illa poena commentum Duridis est, sed, ut Tu recte haec interpretaris, carpitur Duris, quia perhibuit Aristophanis versum *Σαμ. ὁ. δ.* spectare *στίγματα* illa Samiis ab Atheniensibus inusta. Plut. Per. 26. fin. Quod, ut parum fide dignum, reiicitur a Photio et *πλάσμα* vocatur. Accedit huc, quod *κόλασμα* Graecum non est: *κόλασις* dicunt.

P. 162. Fr. LXI. *Δοῦρις — ἐπιτραγῳδεῖ.*] Perperam ex hoc loco colligitur Duridem fuisse *poetam,* ut fecit Groen v. Prinsterer de Hegemon. Athen. p. 29. — Verbo *paratragoedare* utitur Plaut. Pseud. II, 4. 17.

P. 164. Fr. LXII. *Quis non dixit — irridetur.*] Satis infirmum ex his Ciceronis verbis argumentum petitur Eratosthenem nominatim carpsisse Duridem, quod tradiderit Eupolin ab Alcibiade in mare esse deiectum. Hoc tantum indicare videtur Cicero, Eratosthenem perstrinxisse et correxisse publicam opinionem, quam et Duris erat secutus. Sed ex h. l. colligi posse Eratosthenem Duridis libros in consilium adhibuisse, ut Te monuisse video p. 50. n. 3., equidem, pignore posito, contendere nolim. Quamquam hoc per aetatem omnino licuisset: nam Eratosthenis nisi natalis, at saltem pueritia in Duridis virilem aetatem vel senectutem incidit. Hic enim audivit Theophrastum, qui obiit Ol. 123, 2.: Eratosthenes autem

decessit Ol. 146, 3. (Clint. ad h. a.), vitamque quadraginta ad minimum annos ultra Duridis mortem produxit. Quapropter vereor ut recte *aequalem* Duridis vocaverit Eratosthenem Panofka R. S. p. 1.

P. 175. Fr. LXVII. τὸν ἥλιον.] Nihil offenderem in vocabulo τὸν ἥλιον, si aut Etymologi, aut glossatoris, unde sua hic habet, verba nos legere persuasum mihi esset. Sed rem, ipsius Duridis verbis magnam saltem partem servatis, nobis tradi, ut saepius faciunt grammatici, vehementer suspicor. Scripsit fortasse Duris τὸν υἱόν. Iuvat hic verba Clearchi afferre, quae Duridis testimonio tam accurate respondent, ut fere dicas alterutrum alterum descripsisse. Ille enim: ἡ Λητὼ, τῶν παίδων τὸν ἕτερον (Apollinem) ἐν ἀγκάλαις ἔχουσα — εἶπεν· Ἴε παῖ. *Apollinem* enim deum vocat et ipse Clearchus, nec vero Ἥλιον, dicens: τὴν Λητὼ ἀνακομίζουσαν εἰς Δελφοὺς Ἀπόλλωνα καὶ Ἄρτεμιν; et iterum τυχεῖν δὲ τόξα μετὰ χεῖρας ἔχοντα τὸν Ἀπόλλωνα.

P. 181. Fr. LXXIII. κρατῆρα οἴνου cet.] Quid haec conducant ad illustrandam originem locutionis θωρήσσεσθαι *inebriari*, me nullo modo perspicere ingenue fateor. Iterum GEELIUM consului: qui pro κρατῆρα legendum censet θώρηκας. Ita ut vocabulum κρατῆρα non sit merum σφάλμα, sed inepta correctio librarii, totius loci vim parum intelligentis. Et revera loricis et galeis in talibus saepius usi sunt homines. In deteriorem etiam usum loricam adhibendam censet Trygaeus apud Aristoph. Pac. 1225. sqq. — Verba Schol. Aristoph. Acharn. 1132., cuius interpretationem merito improbat Welcker. ad Theogn. 1009., manifesto mendo laborant. Legendum enim ibi

levi mutatione: καὶ ἀκροθώρακας τοὺς μεθύσους ἐκάλουν. Conf. Hesych. v. ἀκροθώρακες.

P. 183. Fr. LXXIV. Ὡς τὴν παροιμίαν — τι·] Locus corruptus, sic fortasse restituendus: ὡς τὴν παροιμίαν παρελθεῖν καὶ λέγεσθαι ἐπὶ τῶν προθυμουμένων τι ποιεῖν; i. e. *ita ut proverbium suam significationem paulatim amiserit, obsoleverit, et dicta fuerit de omnibus iis, qui alacri animo aliquid faciunt.* Παρέρχεσθαι et παροίχεσθαι significant *obsolescere et vim suam amittere*; plane ut nos dicimus *verloopen.* Cratinus apud Plut. Per. 13. ἐπειδὴ τοὔστρακον παροίχεται. Λέγειν ἐπί τινος Grammaticis maxime frequentatum.

P. 189. Fr. LXXX. Δοῦρις δὲ καὶ δουλεῦσαι αὐτὸν (Σωκράτην) καὶ ἐργάσασθαι λίθους (φησίν.)] Socratem inter philosophos, qui servitutem servierunt apud Gellium frustra quaeras. Nec mirum. Nemo enim unquam hoc tradidit. Ne Duris quidem talia pronunciavit, opinor. Crassior enim foret iste error dicam an ignorantia. Omnia enim, quae Socratem spectabant, illius aetate satis erant cognita, ita quidem, ut nec ipse talia crediderit, nec alii cuiquam persuaderi posse putarit, nobilissimum scilicet illum Atheniensem philosophum summisque in patria functum honoribus, qui nonnisi civi γνησίῳ obtigebant, servum fuisse aut libertinum. Nec satis placet Luzacii opinio, Peripateticorum in Socratem iniquitati commentum hoc tribuentis. Quapropter alii, ut rem expedirent, putarunt verbum δουλεύειν hic non de vera servitute, sed de opera mercenaria esse accipiendum. Vid. G. Dindorf. in Steph. Thes. L. G. ed. Gall. in v.; ad hanc tamen opinionem muniendam unico hoc Diogenis

loco nixus. Frustra: nam non nisi aut infima Graecitate, aut apud Christianos scriptores (*δουλεύειν τῷ Θεῷ*) hoc obtinet. Quid igitur? Obliteratam esse veram lectionem non est quod dubitem. Puto Duridem *ἐν τῷ περὶ Τορευτικῆς* scripsisse Socratem *τορεῦσαι καὶ ἐργάσασθαι λίθους*. Eum *ἐργάσασθαι λίθους*, id est statuarium (*λιθοξόον*) fuisse, bene multi tradiderunt, quos Tu commode laudasti. Sed, quod Duris praeter reliquos omnes scripsit, hoc est, quod *ἐτόρευσεν*. Ne quis mihi obiiciat hoc a nemine tradi. Nam non magis alia multa, a Duride narrata et communi opinioni contraria, (meministi enim), apud reliquos scriptores reperies.

P. 192. Fr. LXXXII. *ἐν δὲ τῇ χώρᾳ — τροφήν.*] Minus placet Wyttenbachii emendatio, pro vulgato *περιιδών* legentis *ἰδών*. Nisi sanus est locus, fortasse leviore mutatione corrigendum *περιιών*, *oberrans*. *Περιιέναι* enim apud serioris aetatis scriptores idem est quod *ἀλᾶσθαι*. Lucian. Tim. 25. Aletes autem exsul in patriam redire conabatur. Quod ut consequeretur, in agro Corinthiaco *oberrabat*, opportunum tempus praestolans, donec, in pastorem aliquem incidens, hunc ex oraculi mandato panis frustum petebat. Ceterum locus interpungendo est sanandus; hoc modo: *ἐν δὲ τῇ χώρᾳ περιιὼν, τινὰ βουκόλον ᾔτει τροφήν.* Eodem modo Schol. Pind. a Te citatus: *ᾔτει τινὰ ἀγροῖκον ἄρτον.*

P. 193. Fr. LXXXIII. *ἐκμαθούσας τὰς τῆς σελήνης κινήσεις.*] Absurda haec sunt. Quapropter, collatis verbis Schol. Apollon. Rh. IV, 59 et 60., non dubito quin legendum sit *ἐκλείψεις*. Ubique enim, ubi res traditur, minime proditum invenies istas mulieres praedixisse solen-

nes lunae motus atque φάσεις, sed defectus lunae; quam, si deficeret, incantationibus suis de coelo deduxisse se perhibebant Thessalae. Item turbata interpunctione restituta locus sic est legendus: Δ. φησὶ τὰς Θετταλὰς, ἐκμαθούσας τὰς τῆς σελήνης ἐκλείψεις, προαγγέλλειν, ὡς (ἡ σελήνη) ὑπ' αὐτῶν μέλλοι κατάγεσθαι.

P. 194. Fr. LXXXV. ἢ ἀπὸ Ἀσίας τῆς μητρὸς Προμηθέως.] Asia, quae ab Apollod. I. 2. Schol. Apollon. Rhod. I, 444. Tzetz. ad Lycophr. 1283. Etym. M. v. Promethei mater vocatur, auctore Herodoto IV, 45. uxor Promethei fuit. Herodotum sequitur Eustath. ad Dion. Perieg. 270.

Ibid. Δοῦριν δὲ Ἀριστοτέλης φησὶ λέγειν.] Multos haec iam vexarunt. Westermannus suspicatur Duridem, quem hic nominatum invenimus, diversum esse a Samio, rerum scriptore: eo maxime, ut puto, inductus argumento, quod hic ab Aristotele philosopho citari non potuit. Obiit enim hic Ol. 114, 3. a. C. n. 322. (Clint. ad h. a); quo vivente non credibile est iam aliquid in lucem edidisse Duridem. Alii aliter rem expedire sunt conati. Nec satis placet duplex, quam Tu iniisti, ratio. Si quid mutandum, equidem legam Ἀριστοφάνης. Aristophanis Byzantini, illustrissimi illius grammatici, glossam a Lexicogr. Seguer. hic nobis apponi, indicat vocabuli Ἀσιὰς interpretatio, depromta, ut puto, ex opere aliquo grammatici argumenti, cuiusmodi fuere eius Ἀττικαὶ λέξεις et Γλῶσσαι Λακωνικαί. In talibus operibus vocabula difficiliora et vetusta, de quorum origine et significatione ambigebatur, explicata fuisse, satis notum est. Aristophanem Byzantinum nude grammatici passim citant. Vidd. Athen. XI, 485. d. Etym. M. v. Κύρβεις. Alioquin fere

additur ὁ γραμματικός: ibid. v. Συρβάβυττα. Scrupulo hoc modo sublato non opus est, ut Westermanni opinioni accedamus alium Duridem statuentis; nam commode, de quo nunc sermo est, Duridis locus referri potest ad librum περὶ Τραγῳδίας, unde depromtum est Fr. LXXII, itidem instrumentum musicum (μάγαδιν) spectans. Eodem quoque referam, quae Duridis auctoritate de origine vocabuli Κίθαρος tradit Etym. M. in v. Vid. Fr. LXXXVI. — Cum hoc Lexicogr. Seguer. loco conferendus est Etym. v. Ἀσιάτις; ubi fortasse pro τρίχορδος legendum est τρίγωνος: certe alter ex altero emendandus.

Et haec quidem potiora sunt D. V! quae post diligentissimas Tuas in Duridem curas mihi observanda supererant. Reliqua aut minoris sunt momenti aut in rebus valde incertis versantur. Sic, ut hoc utar, scripsit Duris commentarium περὶ Τραγῳδίας: de cuius scriptionis indole quamquam certi quid statuere non licet, tamen iure dubitari possit, num forte partem effecerit prolixioris operis περὶ Ἀγώνων: in quo de Tragoedia, quae et ipsa ἄγων eaque μουσικὸς fuit, opportune agere potuit auctor. Et contra: quis dicat, an non τὸ περὶ Ζωγραφίας et τὸ περὶ Τορευτικῆς, (quamquam hae affines artes sunt), a Te ad unum idemque opus relata, totidem diversa Duridis fuerint συγγράμματα? Denique, ut hic finem imponam, vel in tam laceris *Duridis* reliquiis luculentum intuemur specimen disci-

plinae Aristotelicae, cui id maxime fuit proprium, ut in nullo fere humanae cognitionis genere non elaboraret; quam paene omnem illustrissimus auctor mirabili quadam ingenii praestantia complexus, indigestam adhuc nec satis dum distinctam, rite disposuit suisque terminis definivit: eoque nomen parentis omnis severioris et accuratioris doctrinae summo sibi iure vindicavit.

Tu vero D. V! benevolentia Tua me prosequi pergas et in literarum Tuumque commodum Vale.

Scribebam Delfis Batavorum
x Kalend. Apriles.

EMENDATIONUM PAR.

Observationes meas in Duridem comitentur emendationes duae, quae nuperrime in mentem venere: quarum altera spectat inscriptionem Atticam, altera impeditissimum Alcaei versum.

I.

Wordsworthius in libro elegantissimo et utilissimo *Athens and Attica* p. 180. (ed. 2.) exhibet titulum a se repertum in ruderibus aedificii non longe a Theseo distantis. Quae etiamtunc legi poterant, haec esse dicit:

ΟΥ ΤΑΔΕ ΘΕΛ ΙΜΕΛΗΣ ΑΜΦΙΟΝΙΣ ΗΡ.....
ΟΥΔΕ ΚΥΚΛΩΠΕΙΑΣ ΧΕΙΡΟΣ ΕΛ.....

Quae feliciter hoc modo restituit: *ΗΡ[ΑΤΟ ΜΟΥΣΑ]* et *ΕΛ [ΑΣΣΕ ΒΙΑ]*, vertitque:

> Nor Cyclopean hand with labour strong
> This pile did raise, nor Amphionian song.

E quibus intelligitur virum sagacissimum intacta reliquisse *ΘΕΛ ΙΜΕΛΗΣ*. Lacuna in medio hoc vocabulo (nam unum esse mox apparebit) facili negotio expleri potest interposita litera *Ξ*: quo facto habebis vocabulum *θελξιμέλης*, *cantu alliciens*; quod, quamquam apud scriptores optimae aetatis fortasse frustra quaeras, tamen satis

Graecum est, credo, ut hic locum suum tueatur. In H. Steph. Thes. L. G. (ed. Gall.) in v. tantummodo citatur auctoritas Anon. H. in Virg. 9.: addito corrupto loco Constant. Man. Chron. p. 120 d. ὑπὲρ ὀργάσας ἴυγγας θέλξει μελῶν, emendato tamen e Cod. in ὀργάνων — θελξιμέλων. Wordsworthius, qui αὐτόπτης rei testis est, affirmat formam literarum (quam vellem accurate depictam exhibuisset) indicare, titulum exaratum esse anno a. C. n. circiter 340. Quae si vera sunt, nova auctoritas, lexicis addenda, adiectivum θελξιμέλης optimae Graeciae aetati vindicat.

Quae quum iam scripsissem, in pervolvendo Boeckhii C. I., incido in p. 920. Addend. et Corrig., ibique eundem sine dubio titulum (sed quis agnoscat?) ex schedis Fauvelii Köhlerianis a Boeckhio editum intelligo. Sed, quia hoc et Wordsworthium fugisse video, illum e libro Boeckhiano hic exhibebo:

ΟΥΤΑΛΕΘΕΛΗΞΙΝΕΛΗΣΑΜΦΙΟΝΙΣΗΡ.....ΠΠΙΟΟΥΣ
ΟΥΔΕΚΥΚΛΩΠΕΡΙΧΕΝΟΕΙΔ.....ΡΕΣΑ

V. 2. Boeckhius videre sibi visus est: δὲ κύκλῳ πε(ρ)ι(ε)χ... Corrupta illa ΘΕΛΗΞΙΝΕΛΗΣ meam coniecturam confirmant. Simul intelligitur Boeckhium vitioso apographo esse usum parumque fidei esse habendum inscriptionibus aliena manu descriptis. Accuratius enim haec exhibet Wordsworthius; nisi quod singula vocabula a se invicem separata excudenda curavit. Porro vitiosa ΠΠΙΟΟΥΣ et ΡΕΣΑ, ut est apud Boeckh., Wordsworthii coniecturis egregie favent; quae tamen utrum iam plane evanuerint, quum lapidem vidit Anglus, an huius oculos fugerint, difficile est dictu.

II.

Alcaeus apud Athen. X, 430. d.:

Πίνωμεν· τί τὰ λύχν' ὀμμένομεν; δάκτυλος ἀμέρα.
*Καδ δ' ἄερρε κυλίχναις μεγάλαις *αἰ τὰ ποικίλλες.**
Ϝοῖνον γὰρ Σεμέλας καὶ ΔῖϜος υἷος λαθικάδεα
ἀνθρώποισιν ἔδωκ'. Ἔγχεϝε κίρναις ἕνα καὶ δύο
πλέαις κακ κεφάλας· ἁ δ' ἐτέρα τὰν ἐτέραν κύλιξ
ὠθήτω.

Locum fere exhibeo, ut legitur apud Ahrensium de Ling. Gr. Dial. p. 247., restituto Aeolismo; ita tamen ut huius rei fides sit penes auctorem. Digamma iure postliminii ubique ego suum locum recuperare iussi. Ceterum v. 2. Ahrens., pro *αἰ τὰ ποικίλλες*, ut est in Codd., e coniectura edidit *αἶψα ποϊκίλαις*. Et haec ipsa res est, quam volo. Nimirum diu est, ex quo corrupta illa *αἰ τὰ* cruciarunt eruditos; quorum coniecturas vide apud Ahrens. l. l. et I. G. Grimm. de Scoliis Graecorum p. 62. Sunt autem hae: *ἀΐτα ποικίλαις*, Schneidew., obstante metro; *αὐτίκα ποικίλαις*, Grimm. — Ahrensii emendatio, Aeolicae dialectus idiomate nixa, qua diphthongi *αι* et *οι* diaeresin patiuntur producta simul vocali *ι*, quamquam defendi potest, hic nimis torta videtur. Nec enim semper diaeresin istam locum habere testantur Sapphus illa: *Ποικιλόθρον' ἀθάνατ' Ἀφρόδιτα*, et frequenter recurrens vocab. *Ϝοῖνος*. Ingeniosa sane est correctio Ahrensii, mutantis *αἰ τά* (*ΑΙΤΑ*) in *αἶψα* (*ΑΙΨΑ*); nam iam mature corruptelam locum invasisse demonstrant *ΠΟΙΚΙΛΛΕΣ* pro *ΠΟΙΚΙΛΛΑΙΣ*. Grimmii *αὐτίκα π.* eo praestat Ahrensianae lectioni, quod in vocabulo *ποικίλαις* communis usus et quantitas possunt servari. Mihi tamen alia ingredienda videtur via. Requiro enim subiectum, quo refe-

rantur καδ δ' ἄερρε et ἔγχεϜε: quod praecessisse non puto; nam carminis initium hic nos habere, non est quod dubitem. Idem illud optime sensit Grimmius, vertens: »Affer crebra, *puer*, plena mihi pocula grandia." Quid si Alcaeus cecinerit

καδ δ' ἄερρε κυλίχναις μεγάλαις, ὦ Ϝέτα, ποικίλαις,

corruptumque esset *ΑΙΤΑ* ex *ΩΕΤΑ* s. *ΩϜΕΤΑ*? Quod sive vocabuli insolentia sive librariorum incuria et ignorantia facile accidere potuit. Frequens enim est et facilis commutatio literae ω in α, et ε in ι: ut contra ι in ε corruptum videmus in *ΠΟΙΚΙΛΛΕΣ* pro *ΠΟΙΚΙΛΛΙΣ*. Ἔτης, Ϝέτης s. Aeol. Ϝέτας h. l. *amicus, sodalis* est, respondetque nostratium *maat, kameraad.* Hesych.: Ἔται· ἑταῖροι, συνήθεις, πολῖται, δημόται, φίλοι, ἐπίκουροι. Conf. Apollon. Lexic. Hom. in v. Etym. M. ibid. et in Ὠτᾶν. Duo igitur significat, nimirum *civis* et *amicus*. At tertiam significationem affert Hesych.: Ἔτας· τοὺς κατ' ἐπιγαμίαν οἰκείους, cet. Tribus his, ut videtur, significationibus vocabulum usurpat Homerus. Apud recentiores Atticos, apud quos *civis* πολίτης, δημότης est (Schol. Aeschyl. Suppl. 262.), plane in desuetudinem videtur abiisse; nisi quod nonnulli suspicati sunt eius vocativum superesse in locutione ὦ ἑτᾶν. Vid. Goell. ad Thuc. V, 79. Verum nulla dum mihi innotuit lex, qua vocat. primae declinationis formari possit in αν. Accedit huc quod ipsum vocativum ὦ ἔτα affert Hesych. in v. Semel tamen ἔτης legitur apud Aeschylum, l. l., sed antiquiore Atticismo hic utitur. Apud Aeoles vero et Dores vocabulum usque usu viguisse, testatur foedus Argivorum et Atheniensium, Dorica dialecto scriptum, quod legitur apud Thuc. l. l. ubi vid. Poppo: indicat

item foedus Aeolicum Eleorum et Heraeensium apud Boeckh. C. I. 11, ubi *Fέτας* significat *civis*, sed, eodem modo, quo apud Aeschyl. l. l., *privatus*, opponiturque *magistratui* (τελέστα); conf. Boeckh. ad h. l. — *Ἔτης* digamma habuisse, praeter laudatum Eleorum foedus, arguit hiatus pluribus locis Homericis, ubi vocabulum recurrit. Dissimile veri non est eius formam productiorem exstare in ἕταρος, ἑταῖρος; adspiratio enim neminem offendet: confer modo ἡμαρ = ἡμέρα et ἡδος (*Fᾶδος*) = ἡδονή.